

- 4 regnum arripuit pluribus de exercitu corruptis. Alexander vero cum deseri se ab stipatoribus vidisset, matrem sibi causam fuisse mortis exclamans accurrenti percussori obvoluto capite cervices valide compressas  
5 praebuit anno vitae vicesimo sexto. Huius mater 5  
Mammaea eo filium coegerat, ut illa ipsa permodica, si mensae prandioque superessent, quamvis <semesa alteri> convivio reponerentur.
- 25 Iulius Maximinus Thrax, ex militaribus, imperavit annos tres. Is dum persequitur pecuniosos, insontes pariter noxiosque, apud Aquileiam seditione militum discerptus est una cum filio, conclamantibus cunctis militari ioco ex pessimo genere nec catulum habendum.
- 26 Huius imperio duo Gordiani, pater et filius, principatum arripientes, unus post unum interiere. Pari etiam tenore Pupienus et Balbinus regnum invadentes perempti sunt.
- 27 Gordianus, nepos Gordiani ex filia, ortus Romae clarissimo patre, imperavit annos sex. Apud Ctesiphontem a Philippo praefecto praetorio accensis in seditionem militibus occiditur anno vitae undevicesimo.  
3 Corpus eius prope fines Romani Persicique imperii positum nomen loco dedit Sepulcrum Gordiani.
- 28 Marcus Iulius Philippus imperavit annos quinque. Veronae ab exercitu interfectus est medio capite  
2 supra ordines dentium praeciso. Filius autem eius Gaius Iulius Saturninus, quem potentiae sociaverat, Romae occiditur agens vitae annum duodecimum, adeo severi et tristis animi, ut iam tum a quinquennii aetate nullo prorsus cuiusquam commento ad ridendum solvi potuerit patremque ludis saecularibus petu-